

CONCIO VII. — De inferni supplicij	pag. 106
I PARS. — Reprobi in inferno omnes patiuntur dolores sine ulla exceptione	107
II PARS. — Reprobi in inferno omnes patiuntur dolores sine ulla consolatione	111
III PARS. — Reprobi in inferno omnes patiuntur dolores sine ullo fructu	116
CONCIO IX. — De divina gratia	120
I PARS. — Oportet gratiam a Deo petere	121
II PARS. — Oportet gratie non resistere	125
III PARS. — Oportet Dei gratie cooperari	129
CONCIO X. — De penitentia	133
I PARS. — Ad veram penitentiam requiritur dolor cordis	134
II PARS. — Ad veram penitentiam requiritur oris confessio	139
III PARS. — Ad veram penitentiam requiritur satisfactio	144
CONCIO XI. — De peccandi occasionibus	148
I PARS. — Peccandi occasiones sunt timende	149
II PARS. — Peccandi occasiones sunt fugiende	153
III PARS. — Peccandi occasiones sunt mutande	158
CONCIO XII. — De tempore	162
I PARS. — Tempus est estimandum	163
II PARS. — Tempus est bene expendendum	167
III PARS. — Tempus est reparandum	172
CONCIO XIII. — De penitentia non differenda	176
I PARS. — Penitentia non est differenda usque ad vite finem	177
II PARS. — Penitentia non est differenda ad tempus longe distans	183
III PARS. — Penitentia non est differenda in diem crastinum	188
CONCIO XIV. — De restitutione	193
I PARS. — Aliena sunt restituenda	194
II PARS. — Aliena sunt restituenda cito	199
III PARS. — Aliena sunt restituenda totaliter	203
CONCIO XV. — De mercede laborum	208
I PARS. — Labores nostri apparentes sunt et merces vera	210
II PARS. — Labores nostri parvi sunt et merces magna	214
III PARS. — Labores nostri momentanei sunt, et merces aeterna	220
CONCIO XVI. — De Dei voluntate circa hominum salutem	224
I PARS. — Deus vult omnium salutem voluntate sincera	226
II PARS. — Deus vult omnium salutem voluntate ardente	230
III PARS. — Deus vult omnium salutem voluntate efficaci	234

ANNUS  
APOSTOLICUS

CONTINENS CONCIONES :

I. TOTO ADVENTU — II. TEMPORE QUADRAGESIMAE  
III. OMNIBUS ET SINGULIS TOTIUS ANNI DIEBUS DOMINICIS  
IV. DE SANCTIS

PRÆDICABILES  
STILO PERSPICUO ELABORATAS

CLARAQUE METHODO CONCINNATAS

AUCTORE R. P.

Fr. ZACHARIA LASELVE

*Sacrae Theologiae Lector, necnon Provinciae Recolectorum  
Sanctissimi Sacramenti seu Tolosanae alumnus.*

EDITIO REVISATA ET ADNOTATA A P. A. SARACENO PRESB. CONGREG. ORD. TAURIN.

Volumen II.

Pars I. — Conciones pro tempore Quadragesimae.

AUGUSTE TAURINORUM  
EX OFFICINA LIBRARIA ECCLESIASTICA  
Eq. LAURENTII ROMANO EDITORIS

M.DCCC.LXXXI.

CONCIONES  
PRO  
TEMPORE QUADRAGESIMÆ

FERIA IV CINERUM.  
DE MORTIS MEMORIA.

*Pulvis es, et in pulverem recerteris* (Gen. 3, 19).

Si philosophia dicatur *cognitio rerum ut sunt* (Arist.), seu, si philosophia sit scientia naturas rerum explicans: certe *summa est philosophia meditatio mortis* (Chrys., ser. 54), quia mortis memoria, ac frequens ejus meditatio docet nos, hanc rerum omnium sublunarium esse naturam, quod omnia fragilia sint, transitoria sint, quasi nihilum sint: et ideo a nobis despicienda, ut pœnitentiæ et christianarum virtutum operibus adhareamus, ac ut coelestibus, divinis et æternis comparandis insistamus. Ut philosophiam hanc doceat sancta Mater Ecclesia, filiorum suorum capita hodie cinere conspergi et signari curat per ministros suos, cuique dicentes: *Memento homo, quia pulvis es, et in pulverem reverteris*. Nihil pulvere inanius, nil vilius, nil instabilius, nil magis volatile: memento autem tu homo superbus, qui aliis dominari ambis: tu homo delicatus, qui tanta sollicitudine sanitati tuæ curandæ studes; tu homo doctus, qui profanæ scientiæ vento inflaris; tu homo peccator, qui tot scelerum reus es; tu homo infirmus, qui te diu victurum erronee credis; *memento, inquam, quia pulvis es*; memento, quia moriturus, ac

*Juribus servatis.*

brevi in cinerem et pulverem reversurus. Hæc est philosophia sacra, quam hodie sancta docet Ecclesia, quam et ego in tota hac concione docere conabor, dum ad mortis memoriam frequenter habendam vos hortabor. Ave.

Tanta divinæ gratiæ virtus, efficacitas tanta, ut perditos, et dissolutos quosque homines a peccatis sæpe avertat, ad penitendum moveat, et ad operibus bonis vacandum inducat. A peccatis quidem avertit divina gratia; nam, ut ait divus Augustinus, *quanto magis regnat in unoquoque gratia, tanto minus dominatur iniquitas*. Gratia etiam ad penitendum movet: hæc etenim peccatoribus penitentiam inspirat, ac in cuiusque corde ait: *Convertere ad Dominum Deum tuum* (Ose. 14, -2). Gratia tandem ad bona opera facienda inducit: nulla enim opera meritoria ex nobis quasi ex nobis agimus; sed per gratiam, quæ nos ad bene agendum allicit et inducit: *non ego sed gratia Dei mecum* (1. Cor. 15,10). O magnam divinæ gratiæ virtutem? Pene eadem mortis meditationi convenit virtus: mortis enim memoria, et frequens ejus meditatio est quasi gratia, aut, ut melius loquar, frequenti mortis meditationi gratia quædam annexa est, quia qui serio et frequenter se vere, cito, et inopinante moriturum cogitat, a peccatis avertitur, ad penitendum movetur, et ad bene operandum allicitur. *Memento ergo homo quia pulvis es*, et non peccabis: *memento quia pulvis es*, et penitentiam ages; *memento quia pulvis es*, et opera digna salutis facies. Quæ ut certius consent, dico, quod mortis memoria 1. a peccatis avertit; 2. ad penitendum movet; 3. ad bene operandum inducit.

### I PARS.

#### *Mortis memoria a peccatis avertit.*

Qui recte sapiunt, non tam suam originem et nobilem a qua descendunt progeniem, quam finem suum seu mortem, quæ terrenarum omnium felicitatum est finis et terminus, serio con-

templantur. *Sapientis est, non tam rei principium prospicere, quam finem et exitum prævidere* (Aug. in spec.). Frequens hæc mortis memoria ac fervens ejus meditatio ad spernendas sæculi pompas, ad contemnendas carnis delicias, et ad postponendas mundi curas innumeros induxit, sed et, si credamus sapientum principi, frequens illa mortis cogitatio ad avertendos homines a peccatis ita potens est, ut qui mortis crebro meminerit, in æternum non sit peccaturus: *In omnibus operibus tuis memorare novissima tua, et in æternum non peccabis* (Ecl. 7, 40). Hoc est, ut exponit Hugo Cardinalis, *nunquam peccabis, et peccata digna morte æterna nunquam facies*. Verum quidem, peccatos quosque peccatores interdum mortis recordari: cum scilicet pro mortuis campanas pulsari audiunt, cum aliquem ex cognatis vel amicis obiisse discunt, cum cæmeteria pertranseunt, vel cum quis coram ipsis moritur. Tunc *funere calente, corpore adhuc præsentem*, recogitant se morituros, sed hæc cogitatio mox evanescit: *Cogitatur mors, inquit Augustinus, sed forte cum mortuus plangitur, cum exequiæ præparantur, cum offertur, cum itur, cum sepelitur: sepulto autem mortuo, etiam talis cogitatio sepelitur*. Quandiu piæ hæc mortis cogitationes durant, hi a peccatis cavent, et si cogitationes illæ in mente semper manerent, hi a peccatis semper abstinerent, quia qui serio et sæpe se moriturum considerat, a peccatis omnibus facile declinat: *memorare novissima tua, et in æternum non peccabis*. In somnis vidit Nabuchodonosor statuum grandem, cuius caput ex auro optimo erat, pectus et brachia ex argento, venter et femora ex ære, tibie erant ferree, et pedum quædam pars erat ferrea, et quædam fletillis. Hoc Nabuchodonosoris somnium *statim fugit ab eo*, ita ut nec recordaretur ejus cum erigilavit, opusque fuerit ut Daniel somnium ejus divinaret. Sic etiam multi, cum mortem aliquando cogitant, hanc veluti somniando respiciunt, et statim obliviscuntur ejus, nihilque est, cuius tam cito obliviscantur, quam mortis. *Quid istud, quæso, quid istud est? nihil ita quotidie homines ut mortem vident, nihil ita obliviscuntur ut mortem*. Plerique similes sunt letargicis, qui a lethali

somno clamoribus multis, violentis motibus, et diris incisionibus tantisper excitati, videntes non vident, audientes non audiunt, unoque aut altero verbo imperfecte prolato, ad pristinum redeunt soporem, nec eorum quæ viderunt et audierunt reminiscuntur. Sic innumeri letargico scelerum suorum somno gravati, aliquantulum excitantur, cum prædicatores de morte dicunt, cum pro defuncto quodam pulsatur æs campanum, vel cum quis coram ipsis subitanea morte rapitur; tunc vero audientes non audiunt, videntes non vident, ac tam leviter tamque segniter hæc omnia considerant, ut mox et mortis et mortuorum obliviscantur. Et ideo ad fraudes, ad rapinas, ad perjuriam, ad turpes corporis voluptates, et ad pristina omnia peccata statim redeunt; ad quæ non redirent, si hæc mortis consideratio in cordibus eorum altum figeretur, et si in mente eorum hæc mortis cogitatio perseveraret. Quia nil ita a peccatis avertit, ac mortis memoria: *Nil sic revocat hominem a peccato, quemadmodum jugis mortis recordatio.*

Homo ex natura sua miser est, multisque miseriis obnoxius: *Homo natus de muliere, brevis vivens tempore, repletur multis miseriis.* Homo miser in mente, quæ multis ignorantiam et errorum tenebris involuta est; miser in corpore, quod est immunditiæ sentina, et pravæ concupiscentiæ fornax: miser in anima, quæ inordinato affectu creaturis adhæret, et ad peccata multa declinat; et tamen miser ille homo diabolica semper inflari solet superbia: *cunctis diebus suis impius superbit*: in misero hoc homine non minuitur, sed semper augetur superbia: *superbia eorum qui te oderunt, ascendit semper*: cur, quæso, infirmus et miser ille homo ita intamescit? cur superbit pulvis et cinis? quæ causa superbiæ hominum? Causa superbiæ eorum est, quia de morte non cogitant: *quia non est respectus morti eorum*, inquit Propheta, *ideo tenuit eos superbia* (Psal. 72, 4-6), vel, ut explicat S. Hieronymus, *quia non cogitaverunt de morte, ideo tenuit eos superbia.* Hæc est causa, cur superbia homines tument, et hæc est etiam causa, cur in alia omnia peccata incidunt. Unde subdit Vates regius: *Ideo tenuit eos superbia, operi sunt iniquitate et impietate*

*sua.* Vis scire, cur vindictæ flammis incenduntur homines? cur avaritiæ spiritu agitantur? cur gulæ indulgent? cur fœdis libidimbus se inquinant, ac in gravia quæque peccata incidunt? Causa hæc est, quia non cogitant de morte: *ideo tenuit eos superbia, operi sunt iniquitate et impietate sua.* Hæc quidem causa, cur in tot cadant crimina: si enim serio cogitarent, se brevi morituros; se in pulverem redigendos, a verbis sua corrodenda corpora, animasque suas ad tartara forte mox trahendas, haud dubie a peccatis absternerent: quia *nil sic revocat hominem a peccato, quemadmodum jugis mortis cogitatio.* Dei testimonio scimus Jobum fuisse hominem justum, timentem Deum, et ab omni recedentem peccato. De hoc enim servo suo Deus satanam alloquens, dixit: *Numquid considerasti servum meum Job, quod non sit ei similis in terra, homo simplex, et rectus, ac timens Deum, et recedens a malo?* (Job. 1, 8). Ita ab omni peccato recedebat Job, ut in conspectu ipsius Dei, qui cordium et cogitationum scrutator est, dicere non, veritus, se non peccasse: *non peccavi.* In terra Hus vivebat, inter idololatriæ cultores versabatur; in medio paganismi erat, ubi innumera videbat malorum exemplorum incontinentia, ubi sacræ Scripturæ oracula non legebat, ubi non audiebat Prophetarum documenta, ubi perspicua Evangelii luce carebat; et tamen perfectæ innocentia suæ dans testimonium, se non peccasse asserit: *non peccavi.* Unde in viro hoc simplici et recto tanta innocentia? a quo habuit Job, quod non peccaverit? Profecto a mortis et sepulchri sui consideratione; *Dies mei breviabuntur*, inquit, *et solum mihi superest sepulchrum: non peccavi.* Quasi dicat: sepulchri et mortis contemplatio tantam mihi contulit innocentiam, ut peccata quævis gravia vitaverim: *non peccavi.* Sic præfata Jobi verba exponit magnus ille Papa Gregorius. Unde sumit occasionem hortandi homines ad mortis considerationem: utpote quia mortis consideratio ad vitanda quævis peccata maxime juvat: *Perfecta vita est mortis meditatio, quam dum justi sollicitè peragunt, culparum laqueos evadunt.* Memento ergo homo, quia pulvis es, memento sepulchri et putredinis in quam redigendus; recordare immi-

nentis mortis tuæ, qua adveniente, tuos et tua relinques, ut ad tremendum Dei judicantis Tribunal properes. Si horum memineras; si hæc serio et sæpe meditatús fueris, peccatorum laqueos facile evades: quia non est vitio diversorium, in quo versatur mente sepulchrum (Pet. Dam.).

De Sampsonè legimus, quod a via declinaverit, ut leonis cuiusdam cadaver inspiceret, *declinavit, ut videret cadaver leonis* (Judic. 14, 8). O utinam omnes homines a via, seu a negotiis secularibus declinarent, ut non unius solum, sed et multorum contemplerentur cadavera leonum, id est principum, regum, imperatorum, divitum, et aliorum qui in hoc mundo floruerunt! Horum cadavera contemplantur Baruch Propheta, dicens, quod hi jam perierint et exterminati sint; *Ubi sunt principes gentium, et qui dominantur super bestias quæ sunt super terram? qui in acibus cæli ludunt, qui argentum thesaurizant et aurum, in quo confidunt homines, et non est finis acquisitionis eorum? qui argentum fabricant et solliciti sunt, nec est inventio operum illorum? Exterminati sunt, et ad inferos descenderunt* (3, 16-19). Ad frequentem horum mortuorum, ac etiam mortis nostræ considerationem hortatur nos Basilius his verbis: « Mortalem te esse recordare: circumspice illos, qui ante te similibus sese splendoribus efferebant. Ubinam sunt illi, qui civilibus dignitatibus ornati erant? ubi invicti rhetores atque oratores? ubi duces? ubi potestates? ubi tyranni? Nonne omnia pulvis? nonne fabula? nonne in paucis ossibus memoria ipsorum conservatur? Contemplare sepulchra: vide num possis discernere, quisnam servus, quis dominus, quis pauper, quis locuples fuerit ». At non ad alios, verum et ad nosipsos mentem et oculos convertamus; serio consideremus, quam brevis sit vita nostra, quam cito ad nos veniet mors, quam terribilis erit. Perpendamus, quid futurum de anima post mortem, duceturne ad cælos, an ad inferos rapietur? Quid fiet de corpore? nonne erit cadaver foetidum, corruptum et horrendum? Hæc et alia hujusmodi, quæ in nostra et aliorum morte accidere solent, serio et frequenter sunt consideranda: et hujusmodi consideratio nos a peccatis avertit:

quia *nemo memoriam mortis habens, poterit aliquando peccare* (Climac. grad. 6). Querula voce Dominum interpellat Vates regius, dicens: *Usquequo Domine, usquequo peccatores gloriabuntur?* (Psal. 93). O Domine, tu scis, quod impii tua præcepta impudenter violent; leges tuas pro nihilo habeant, viros pios opprimant, viduam et advenam interficiant: imo et tuam negent providentiam, dicentes: *Non videbit Dominus* (Ibid.). O Domine, quamdiu durabit hæc impiorum superbia et impudentia? quousque sæpis adhærebunt iniquitatibus? Iis adhærebunt, donec serio et sæpe de morte cogitent: *donec fodiat peccatori fovea* (Ibid.). Seu, ut exponit Hugo Cardinalis, iis adhærebunt, *donec ingrediantur sepulchrum, id est, de morte cogitent*. Quamdiu enim de morte non cogitant peccatores, in peccatis suis dormiunt, nec ab iis surgere curant; cum autem de morte serio cogitant, a peccatis declinant; quia *nemo memoriam mortis habens, poterit aliquando peccare*.

O peccator, serio et sæpe de morte cogita, singulis diebus *respice finem*; et sedulo considera quis futurus sit finis tuus, quæ futura mors tua; singulis diebus aliquantulum temporis insume, ut mediteris novissima tua. Ne libros illos legas, qui vanitatem, libidines et impietates inspirant: sed eos qui mortem tibi in memoriam revocant. Ne adeas comedias, et alia loca, ubi omnia ad peccandum alliciunt; verum intra in cubiculum tutum, et ibi sæpe volve libros qui de morte pertractant. Abijce profanas quasque imagines, quarum aspectu ad peccandum excitaris, et habeto semper in cubiculo cadaveris foetidi imaginem, cuius intuitu de futura morte monearis. Hoc si facias, a peccatis facile declinabis, quia mortis consideratio a peccatis avertit; *ac etiam ad penitentiam de peccatis agendam excitat*.

## II PARS.

### *Mortis memoria ad penitentiam movet.*

Mors, ait doctor Seraphicus, non est leviter et segniter consideranda; serio cogita, inquit, quod mors ex improvise ad

te veniet, quia sicut fur, quando minime putabis, quando minus dispositus eris, et quando diutius vivere sperabis. Revolve deinde ordinem quo ad mortem devenitur, et habe te nonnunquam, sicut si statim esses moriturus (S. Bonav. in fascic. 2). Cogita qualiter præcedet mortem gravissima infirmitas, cujus alie infirmitates non sunt nisi sicut præcones; vidi gravitatem hujus infirmitatis, et perpende quantus tunc erit clamor conscientie; quantus remorsus in eo qui se non disposuit. Cogita de singulis peccatis tuis, et passionibus propriis singulariter, quantum tunc de iis dolebis, quia non vicisti. Cogita, quantus tunc erit dolor tuus, cum videbis, quod propter tam parvam delectationem, illa sempiterna gaudia amisisti. Cogita, quam amara erit separatio, cum ab his quæ vitiose dilexisti, separaberis. Cogita dispositionem morientis; quomodo totum corpus nigrescit et tabescit; quomodo demones sint ibi tamquam leones rugientes parati ad escam; et quomodo tunc singuli spiritus vitiorum ad animam tuam occurrunt, quærentes et circumeuntes, ut eam devorent. Considera etiam quomodo anima egressa de corpore mox statuitur ante tribunal judicis, et fertur sententia, quæ nunquam revocabitur, et ubicunque tunc lignum ceciderit, ibi manebit. Demum cogita, quod corpus traditur sepulture, et perpetuæ oblivioni. Hæc si sæpe cogites, et in memoriam revoces, non solum non peccabis, sed et de perpetratis peccatis penitentiam ages, qui enim mortis crebro et seri reminiscuntur, ad penitendum facile adducuntur. Et ideo ait Propheta, quod *reminiscuntur, et convertentur ad Dominum universi fines terre* (Ps. 21, 28); quasi non possint reminisci mortis, quin statim ad Dominum convertantur, et penitentiam agant. Mors si oblivioni traditur, quasi mortua est nullumque impiis horrorem et terrorem incutit; at si mors a memoria non recedat, tunc viva et terribilis est, multaque efficaciter operatur in cordibus hominum. Eos a superbia retrahit: nec enim superbiere potest homo, qui se brevi in pulverem et putredinem redigendum cogitat: *quid superbit terra et cinis* (Eccl. 10, 9). Eos ad contemptum omnium terrenorum allicit, *facile contemnit omnia, qui semper se cogitat moriturum* (D. Hier.).

Eos adversus libidinis incentivum, et adversus carnis tentationes validos et fortes efficit: *Si te libido ad peccatum incitat, si te luxuria tentat, obijce tibi memoriam mortis* (S. Bern., ser. 7 de tem.). Eos ab avaritiæ spiritu revocat: cum enim considerant, se alienis divitias suas relicturus, quodque sive reges illi sint, sive imperatores, ac licet omnes Cræsi divitias habeant, nil post mortem secum auferent, divitiarum affectum facile deponunt, unde ad mortis et sepulchri meditationem avaros invitat S. Petrus Damianus, dicens: *Si te avaritiæ stimulus incitat, ad sepulchrum presto recurre*. O quam potens, quam efficax mortis memoria! sed adhuc efficacior videtur, quia omnes penitus peccatores ad cordis compunctionem, ad veram conversionem, et ad penitentiam adducere valet: ut enim ait Propheta, *reminiscuntur, et convertentur ad Dominum universi fines terre*. Ubi advertit, quod post hoc verbum, *reminiscuntur*, statim ponitur, et *convertentur*, perinde ac si mortis memoriam statim consequatur conversio et penitentia. Et ideo mortem multi prophetam magnum, doctorem eximum, vel egregium prædicatorem vocant, a quo ad penitentiam homines moventur. Divus Paulus Troadem ingressus, adstante magna populi multitudine, disputavit et concionem habuit, *protraxitque sermonem usque ad mediam noctem* (Act. 20, 7). Sedens autem quidam adolescens, nomine Eutyclus, super fenestram, somnoque gravi oppressus, cecidit de tertio solario deorsum, et sublatus est mortuus. Hoc casu omnes attoniti sunt auditores, et Paulus conticuit, nec ultra concionem suam protraxit. Cur tacet Paulus, mortuo puero? cur gentium Apostolus concioni suæ finem facit? Hoc casu populus ad rite audiendum verbum Dei, et ad fructum ex illo carpendum videbatur magis preparatus: cur ergo, mortuo puero, prædicationi finem facit? Præclare respondet Chrysostomus, Eutyclus mortuum gessisse vices Pauli concionantis; ac mortem ejus fuisse doctorem egregium, qui adstantibus brevitate vite, mundi contemptum, et penitentiam prædicavit: *pro doctore casus fuit*. O quam multi quotidie coram vobis cadunt et moriuntur homines! Scitis cecidisse patrem,

arum, atarum, et omnes majores vestros: cadentes videtis a dextris mille, et a sinistris decem millia: cadunt undequaque consanguinei, amici, et alii innumeri, omnes hi casus, quasi prædicatores sunt, qui mundi contemptum, odium peccati, et poenitentiae amorem inspirant: non enim possumus mortis reminisci, quin ad conversionem morum, et ad poenitentiam moveamur: *Reminiscentur, et convertentur ad Dominum.* Seu ut explicat sanctus Bernardus, *recordabuntur, quod pulveres et cineres sunt, et convertentur ad Dominum.*

Mortuo Joseph Patriarcha, ossa ejus prædicasse et prophettasse ait Sapiens: *et ossa ipsius visitata sunt, et post mortem prophetaverunt* (Eccli. 49, 18). Nostis, Moysen ossa Joseph de terra Ægypti ad terram promissionis transtulisse: *tulit quoque Moyses ossa Joseph secum* (Exod. 13, 19). Præclare adnotat Lippomanus, Hebræos minus prudentes auro, argento, aliisque Ægypti opibus sese onerasse; Moyses vero, ut sapientior, pretiosorem thesaurum detulit, nempe ossa Joseph; *tulit quoque Moyses ossa Joseph secum.* O quam pium Moysis ossa Joseph deportantis factum: quam pie tota quadraginta annorum peregrinatione, simul cum arca Testamenti arcam aliam deferri curavit, in qua ossa Joseph requiescebant! quam mirabile, quod toto hoc tempore, totoque illo itinere, Josephi ossa prophetarint: *ossa ipsius visitata sunt, et post mortem prophetaverunt.* Jamvero quid, et quomodo hujus defuncti ossa prophetaverunt et prædicaverunt? Certe arida Josephi mortui ossa efficacius populo prædicaverunt quam facundi ejusdem Josephi vivi eloquentia: plus delatis Josephi cineribus, quam iteratis ejus verbis populus ad peccati fugam, et ad recte vivendum excitatus est. Ossa hæc, totius populi conspectui exposita, prophetaverunt et prædicaverunt reverentiam erga Deum, qui tantum in vitas nostras habet dominium, ut complacuerit, ab hoc mundo nos auferat. Ossa hæc prophetaverunt cordis humilitatem, quæ magna esse debet, cum nos in pulverem et cinerem brevi redigendos recogitamus. Mundi etiam contemptum, et omnis mundanæ prosperitatis despectum prædicaverunt; demum prædicaverunt presertim morum conversionem et poeniten-

tiam: quia cum mortis recordamur, ad morum conversionem, et ad poenitentiam agendam plurimum movemur; *recordabuntur, quod pulveres et cineres sunt, et convertentur ad Dominum.* Unde mihi audire videor ossa hæc suo modo Israelitis clamantia: *poenitentiam agite, poenitentiam agite.* De quodam Burgundiae Duce fertur, quod cum mortui parentis corpus ex uno in alium locum transferre vellet, aperto sepulchro, horrendum vidit bufonem faciei patris sui inhaerentem, ac linguam ejus comederentem. Quo commotus spectaculo filius, ad se reversus clamavit coram adstantibus, dicens: O falsa mundi gloria! sublusisti patri meo, non subludes filio. Ubi sunt, pater, divitiæ et deliciae, quibus fruebaris, dum in hoc mundo viveres? Ubi exquisiti cibi, et lauta convivia, que tanto studio tibi parabantur? O quam infelix pater, qui jam a bufonibus et vermibus comederis turpiter, sicut tu pauperes devorasti! In alia his similia prorupit verba prudens filius, ac ita ex mortis et mortui consideratione tactus est intrinsecus, ut relictis omnibus, claustrum intraverit, ibi toto vitæ tempore poenitentiam acturus. Ecce quid operata est mortis memoria in nobili hoc viro; ecce quid operata est in aliis innumeris, et quod in omnibus operaretur, si serio se brevi morituros cogitarent; quia mortis memoriam ad poenitentiam movet: *ac etiam ad bona opera faciendâ inducit.*

### III PARS.

#### *Mortis memoria ad bona opera faciendâ inducit.*

Nemo est, qui se moriturum ignoret; huius tamen rei memoriam habere paucorum est: nam vel demonis industria, vel negotiorum sæculi multitudine, vel voluptatibus, quibus homines immergi solent, fit ut pauci iminentem sibi mortem serio et sæpe recogitent. Verum est, inquit Chrysostomus, quod nulla res est, de qua sæpius homines loquantur, quam de morte: at nulla etiam res, quam minus recogitent. In ipso matri-



monii contractu multoties nomen mortis apponitur; si vir ante uxorem moriatur; si uxor prius moriatur; si primogenitus moriatur; et toties repetito mortis nomine, nullam mortis conservant memoriam. O quam stulti, qui tam cito, et tam facile mortis obliviscuntur! Nihil enim utilius, nil salubrius, quam ejus sæpe sapius recordari; utpote quia ejus memoria ad omnis virtutis exercitium movet; et ut ait D. Augustinus, mors quæ in hoc mundum intravit, ut esset pœna peccati, si ob oculos sæpe objiciatur, ac mente crebro revolvatur, ad bona opera facienda, et ad omnium virtutum acquisitionem potentissime movet: *ipsa pœna vitiorum transit in arma virtutum* (De Civit. Dei 3, 4). Hæc haud dubie fuit causa, cur multi magna sollicitudine mortis recordari curarunt. Non defuere populi, qui monetis suis insculptam habent mortis effigiem, ut non possent monetam manu tenere, quin simul mortis haberent memoriam. Ob eandem rationem mortuorum suorum cadavera supra civitatum suarum muros collocari curabant Æthiopes. De Trojanis etiam fertur, quod ad civitatis portas mortuos suos reponere soliti erant. Cum olim coronaretur imperator, ad eum aliqua marmoris frusta, eaque varii coloris deferebant sepulchorum confectores; ac ab eo inquirebant, ex quo marmore vellet sibi construi sepulchrum: quo suæ mortalitatis admonebatur. Sanctus Ioannes Eleemosinarius sibi fieri sepulchrum curaverat; cumque illud ex industria imperfectum reliquissent operarii, quotiescumque mense assidebat, aliquis ex suis ad eum veniebat, secreto dicens: *Monumentum tuum usque hodie est imperfectum, Domine: jube ergo, ut id finem accipiat; incertum enim est, quia hora mors ventura sit.* Sanctus Jacobus eremita pluribus annis in sepulchro delitavit: alii multi in foretris somnum captarunt, probe scientes, frequentem mortis memoriam ad humilitatem, patientiam et alias virtutes sectandas potentissimum esse incentivum. Qui enim se brevi moriturum cogitat, *humilitatem* facile colit: quia in pulverem se mox redigendum agnoscit; *patientiam* ex animo sectatur, quia corpus suum laboribus multis, ac ipsi morti obnoxium videt: *ad mundi contemptum* non invite fertur, quia

mundum et ejus gloriam se cito relicturum novit; *ad Dei amorem* accenditur, quia statim post mortem eum videre et possidere sperat; *ad proximi dilectionem*, et ab alias virtutes comparandas plurimum inclinatur, quia mortis memoria ad virtutes sectandas, et ad bona opera facienda efficaciter inducit: *ipsa pœna vitiorum transit in arma virtutum.*

Cum miles imminens prævidet certamen, non dormitat, nec otio indulget, sed gladium, lorica, scutum, et omnia ad pugnam necessaria præparat. In morte autem grave aëreas infer potestates et animas nostras initur prælium: quare qui se brevi moriturum cogitat, turpi non vacat otio, sed bonis operibus ad hoc certamen suscipiendum se parat. Cum quis coram giudice litem capitis habet, dormit parum, omnique temporis momento, nunc uno, nunc alio modo laborat, ut causa non cadat. Magnam autem habemus litem, quæ pendet ante tribunal Christi, in qua de vita aut morte æterna agitur. Hæc lis agitata et terminanda in hora mortis: ideo qui mortem cito venturam recogitat, bonis operibus supremum Judicem flectere, iram ejus mitigare, ac ad jura sua tuenda se apparare conantur. Cum prudens navis gubernator mox excitandam tempestatem prænoscit, domus, patriæ, ac familiæ curas deponit, totaque mente, corpore, sensu, nauticis laboribus occupatur, ut fluctum possit superare discrimina, et stationem hucrosi portus periculi victor intrare. Totus autem terrarum orbis procellosum est mare, in quo cuncti inter syrtis et scopulos navigant homines, ac magna in cujusque morte oriunda est tempestas: propterea qui se cito morituros cogitant, bonis operibus vacant, ut in hac procella de concitatis a dæmone fluctibus victores evadant, et ad optatum paradisi portum pervenire valeant. Et ideo ait D. Paulus, quod *mors in nobis operatur*, seu quod mortis memoria ad bona opera facienda nos inducit (1); quia qui mortem

(1) Sensus accomodatissimi S. Scripture pluries exhibet auctor, prout invenit penes omnes fere concionatores; nec quemquam offendere debet hæc praxis, qui meminerit S. Augustinum asserentem, omnes S. Scripture interpretationes, modo nil alienum a fide et bonis moribus contineant, a Spiritu Sancto intentas merito existimari. N. E.

imminere recogitant, bonis operibus sedulo vacant, ut in certamine hora mortis ineundo imparati non inveniatur, ut in lite tunc agitata causa sua non cadant, et ut in tempestate quæ tunc insurget, victores ad salutis portam perveniant. Hanc inter viri sapientis, et viri stulti oculos differentiam statuit Salomon: quod vir sapiens in capite, stultus vero in terræ finibus oculos habeat. Sapientes, inquit, oculos in capite habent: *sapientis oculi in capite ejus* (Eccles. 2, 14); stulti vero oculos habent in finibus terræ: *oculos stultorum in finibus terræ*. Cur ait Salomon, sapientis oculos in ejus esse capite? Nonne tam stulti quam sapientes oculos in capite habent? cur ergo sapienti id specialiter tribuit: quod oculos in capite habeat, quasi vero alii oculos non in capite, sed alibi habeant? Ratio est, quia oculos in capite, et non in pedibus nostris Author nature poni voluit: ut inde quæ longe distant, facilius carnere possemus: et ideo sapientis oculi in capite esse dicuntur, quia vir sapiens non solum presentia, verum etiam futura; non solum quæ in vita, verum etiam quæ in morteventura sunt, advertit et prævidet. *Utinam saperent et intelligerent, ac novissima providerent* (Deut. 32, 29). Vir ergo sapiens oculos in capite habere dicitur, quia vir sapiens prospicit, quod intra breve tempus morietur; quod tunc domos, agros, vineas, pecunias, proventus et dignitates reliquet, nilque aliud secum afferet, quam eleemosynas, jejunia, et alia bona opera quæ in hoc mundo fecerit: *opera enim illorum sequuntur illos* (Apoc. 14, 13). Quare viri sapientes, qui se morituros serio recogitant, bonis operibus sedulo incumbunt, ut ea post mortem secum deferant, et ut iis æternam felicitatem comparare valeant. Mors prævisa et recogitata in iis operatur, quia eos ad bona opera faciendâ inducit: *Mors operatur in nobis*.

Discursum irridet Augustinus et ratiocinationem stultorum quorundam, qui ex hoc quod se cito morituros prævidebant, bibendum et comedendum esse inferebant. *Comedamus et bibamus, cras enim moriamur* (Isa. 22, 13). Sic certe ratiocinantur stulti multi, qui licet mortem imminere prospiciant,

dicunt tamen: dum tempus habemus, gaudeamus, epulemur, ebrietati et foedis libidinis vacemus, ac hujus mundi bonis fruamur. Aliter vero, inquit S. Augustinus, ratiocinantur viri sapientes; non dicunt: *comedamus et bibamus, cras enim moriemur*; sed dicunt: *jejunemus et oremus, cras enim moriemur*. Hæc est legitima consequentia, quam ex imminenti mortis prævisione eliciunt, quia ex mortis memoria ad jejunandum, ad orandum, et ad alia bona opera faciendâ inducuntur. Videte, quomodo se habuerit Propheta regius et quomodo ex mortis memoria ab bona opera faciendâ adductus fuerit: *Cinerem, inquit, tanquam panem manducabam* (Psalm. 101, 10).

Cum re aliqua frequenter utimur, dicere solemus: hæc res cibus meus est; sic quoque David mortis memoriam ita sibi familiarem dicebat, sicut panis usum, quo in communi vita semper utimur: *Cinerem tanquam panem manducabam*; id est, ut explicat Balduinus, *memoria infirmitatis et conditionis mee, qua memini me pulverem et cinerem esse, panis mihi est, refectio mea est*. Quis autem fuit effectus mortis sic recogitate? quid in Propheta causavit frequens hæc mortis memoria? In eo causavit cordis dolorem, et uberem lachrymarum effusionem: *et potum meum cum fletu miscebam* in eo; causavit affectum ad humilitatem, ad jejunia, et ad alias corporis mortificationes: *humiliabam in jejuniis animam meam* (Psalm. 34). Continua hæc mortis meditatio eum ad vigilandum, ad surgendum media nocte, et ad Deum laudandum movit: *media nocte surgebam ad confitendum tibi* (Psalm. 118). Mortis tandem memoria et Prophetam, et alios Sanctos ad innumera bona opera faciendâ induxit. Recordamini similiter, vos brevi morituros, et mortem ex improviso ad vos venturam; in memoriam revocate, quam terribilis et quam formidanda mors, ex qua pendet æternitas; frequenter mortem in januis stantem, ac insidias parantem meditamini: et hæc mortis memoria non solum ad præcavendâ peccata, et ad penitentiam de peccatis agendam, verum etiam ab bona opera faciendâ vos alliciet. *Memento homo, quia pulvis es, et non peccabis*:

*memento homo, quia pulvis es, et penitentiam ages: memento homo, quia pulvis es, et bonis operibus faciendis incumbes: quibus mediantibus, æternam felicitatem comparabis. Amen.*

## FERIA V ANTE DOMINICAM PRIMAM.

### DE FIDE.

*Non inveni tantam fidem in Israël (Matth. 8).*

Totus admirabilis fuit Centurio ille, de quo hodiernum Evangelium: et ut ait sanctus Joannes Cryostomus (Hom. 22 in Math.), vix concipi potest, quid in eo sit majore admiratione dignum, an humilitas, an fides, an sapientia, an bonitas et charitas erga servum: *Vix scio quid primum admiremur in Centurione, humilitatem, aut fidem, aut sapientiam, aut bonitatem.* In eo, ut subdit Os illud aureum, miranda est humilitas: *quia in domo Christum suscipere dignum se esse non aestimavit.* In eo mirabilis est fides: *quia credidit Christum posse quod ipse petit.* In eo mirabilis est sapientia: *quia divinum thesaurum absconditum in agro terreno, non acumine oculorum, sed mentis puritate, nullo demonstrante, prospexit.* Mirabilis tandem in eo bonitas: *quia pro servi salute maxime sollicitus fuit.* Omnia quidem in hoc homine mirabilia: audio tamen Christum Salvatorem, qui laudandæ et extollendæ ejus fidei totus incumbere videtur, et qui palam fatetur, se tantam in Israël non invenisse fidem: *miratus est, et sequentibus se dixit: Amen dico vobis, non inveni tantam fidem in Israël.* Admiremur Centurionis fidem, et ex ea occasionem de fide dicendi sumamus. *Ave.*

Fidem ut quid homini viatori inutile, et nullo modo necessarium autumant Gentiles philosophi, et licentioris vite homines, dicentes, lumen naturale cuique sufficere, nec hominem

supernaturali fidei lumine quomodocumque egere. Magna quidem hujusmodi hominum cæcitas, adversus quos fidem divinam et supernaturalem homini viatori maxime necessariam esse probabimus; *et hæc erit prima hujus concionis pars.* Fidem Christianam et ejus dogmata, quid vile et contemptibile esse arbitrantur viri illi superbi, qui forti, sublimes et excelso ingenio se pollere gloriantur, et ideo de fidei mysteriis interdum palam garrunt, eaque desipiunt et contemptui habent. Hi sane fidem non despicerent, si ignari non essent et maligni, eorumque patebit inscitia et malitia, cum fidei excellentiam et præstantiam propalabimus; *et hæc erit secunda concionis ipsius pars.* Fidei injuriam faciunt Christiani illi desides, pigri, et salutis suæ obliviosi, qui acceptam a Deo fidem debitis qualitatibus non exornant. Istos autem docebimus qualitates, quibus in homine Christiano fulgere debeat fides; *et hæc erit tertia pars hujus concionis.* In prima ergo parte videbimus fidei necessitatem; in secunda præstantiam illius; et in tertia ejus qualitates. *Fidei necessitas, præstantia, et qualitates:* en tres hujus concionis partes.

### I PARS.

#### *Fidei necessitas.*

Fidem nostram Deo gloriosam esse certum est, quia per fidem illum honoramus, dum illi intellectus nostri sacrificium offerimus. *Fides est quasi capitalis honorificentia Dei* (S. Bern. Sen.). Fides autem, quæ Deo est gloriosa, est etiam homini maxime necessaria: 1° Ut Deum cognoscat; 2° Ut Deo placeat; 3° Ut ad Deum vadat.

1. Deum existere, eumque unum esse solo rationis lumine cognoscere possumus; at sine fide cognoscere non valemus, quid sit ipse Deus, quæ et quantæ sint ejus perfectiones, quot in Deo sint Personæ, nec non alia multa Divinitatis mysteria. Quia sicut sol ab homine videri non potest, nisi proprios ipse